



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ, De missione duorum discipulorum Ioannis ad Christum. Matth. 11.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Patribus initi, dignaretur misereri generis humani miserè pessum euntis, & mittere promissum Messiam, seque in minimam, si placeret, benedictæ matris illius eligendæ assumere ancillulam. O quam grata Sanctissimæ Trinitati tanta mentis demissio, gratitudo, amor, resignatio, zelus diuinæ gloriæ & salutis animarum, quorum actibus, seu affectibus frequentatis voluit Verbum æternum è sinu Patris trahi in vterum Virginis? Et tu hos frequenta, quibus tanta potest breui acquiri gratia.

3. Hebdomadæ
Aduentus.

Dominica III. Aduentus.

De missione duorum discipulorum Iohannis ad Christum. Matth 11.

I. Meditatio.

I. IOannes per duos discipulos ad Christum missos quærit: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? non quod dubitet an is verus sit Messias, sed vt discipulos suos, quos breui deserturus erat, ad fidem in Christum per conspecta miracula ab eo facta pertraheret, ex zelo gloriæ Christi, & salutis illo-

illorum promouendæ, plenius ab ipso in omnibus instituendos. O quàm feruens erat in sancto Ioanne zelus omnes, si posset, ad amorem Christi perducendi, optans minui, vt ille cresceret: quam gratus is Christo fuit, qualem illi doctorum aureolam peperit! ô quàm verè ait D. Gregor. *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum* Hunc prolixè hic exercee.

*in Ezech.
Hom. 12.*

II. IESVS mentem Ioannis perspicuens, respondet non tam verbis asserens, quàm factis probans se esse Messiam: renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & *beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Idque ex insigni modestia & zelo maioris nostræ perfectionis, vt doceret nos fugere omnem speciem propriæ iactantiæ, moneretque prius opere præstandum, quod verbo alios docemus, & iubemus. Fuga iactantiæ. Zelus propriæ perfectionis.

III. Illis abeuntibus Iesus apud turbas commendat Ioannem, non solum à dignitate officij illi commissi, quod sit Propheta, imò Angelus, de quo Malachias: *Ecce ego mittam Angelum meum*

C

antè

antè faciem tuam, qui preparabit viam tuam antè te: sed etiam ab insigni constantia, asperitate vitæ, zelo prophetico, angelicâ innocentia, eo fine, vt has virtutes æmulemur, quæ tantam peperere Ioanni apud Christum scrutantem corda & renes, in terris existimationem; & tantam gloriam, tamque eximias Martyrum, Doctorum, Virginum aureolas in cœlis. Feruor proficiendi, & Ioannem æmulandi in prædictis excitandus.

II. *De tempore completi mysterij Incarnati Verbi.*

I. **D**EUS hoc maximum mysterium ab origine mundi promissum, tot figuris præmonstratum, tot prophetijs prænunciatum, vt ab æterno decreuit, ita in tempore executioni mandare distulit, vsque ad annum ab orbe condito quinquies millesimum, centesimum, nonagesimum nonum (iuxta martyrologium Romanum) idque ex inscrutabili abyssu sapientiæ suæ, ad maiorem suam, electorumque gloriam, ob has congruentes rationes: 1. Vt ingravescente tot sæculis morbo corruptionis humanæ, magis appareret necessitas tam rari & inexpectati remedij, & maior